Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26370
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ambo de monachorum collegio in episcopatus gradum asciti. Cum quibus et ead
hed in prouinciam lyndisfarorum, quam nuperrime rex ecfrid superato in bello
et fugato uulfhere obtinuerat, ordinatus est episcopus. et hunc primum eadem
prouincia accepit presulem, secundum edilvvini, tercium eadgarum, quartum cyni
berechtum, quem in presenti habet. Habebat autem ante eadhedum antistitem sex
uulfum, qui etiam merciorum et mediterraneorum anglorum simul episcopus fuit.
Unde et expulsus de lyndissi in illarum prouinciarum regimine permansit.
Ordinati sunt autem eadhed, bosa, et eatta eboraci ab archiepiscopo theodo
ro. qui etiam post tres abscessionis uuilfridi annos horum numero duos addi
dit antistites, trumbertum ad ecclesiam hagustaldensem, remanente
eatta ad lindisfarnensem, et trumuuini ad prouinciam pictorum, que tunc
temporis anglorum erat imperio subiecta. eadhedum de lyndissi reuer
sum, eo quod edilred prouinciam recepisset, rhypensi ecclesie prefecit. XIII.

PULSUS autem ab episcopatu suo uuilfrid et multa diu loca peraga
tus romam adiit, brittanniam rediit. et si propter inimicicias me
morati regis in patria siue in parrochia sua recipi non potuit, non
tamen ab euangelizandi potuit ministerio cohiberi. Siquidem di
uertens ad prouinciam australium saxonum, que post cantuarios ad
austrum et ad occidentem usque ad occidentales saxones pertingit,
habens terram familiarum VII milium, et eo adhuc tempore paganis
cultibus seruiebat, huic uerbum fidei et lauacrum salutis ministrabat.
Erat autem rex gentis ipsius edilvvalch, non multo ante baptizatus in pro
uincia merciorum, presente ac suggerente rege uulfhere, a quo etiam
egressus de fonte loco filii susceptus est. in cuius signum adoptionis